HISTORIA CARDIALGIÆ SUBLATÆ,

Quam
Favente DEO,
Consensu Amplissimæ Facultatis Medicæ,
In
ALMA EBERHARDINA,
PRÆSIDE

DN. ELIA RUDOLPHO CAMERARIO, Med. D. & P.P. Consiliario & Archiatro Würtembergico, p. t. Amplissimæ Facultatis Medicæ DECANO,

DN. Patrono ac Præceptore suo ætatem sanctè Colendo,

PRO LICENTIA
Summos in Arte Medica Honores, Insignia ac Privilegia Doctoralia legitimè capessendi,
In
AULA NOVA,
Publico ac Solenni Eruditorum Examini subjiciet

Eberhard Backmeister/
Tubing.
Ad diem Augusti,
Anni 1683.

TUBINGÆ,

Typis GREGORII KERNERI.

VIRIS
AMPLISSIMIS atque EXCELLENTISSIMIS

Mirâ in rebus agendis Prudentiâ Claris,

De Patria & Academia Hac Meritissimis,

DN. JOHANNI ANDREÆ FROMMANNO, JCto Consummatissimo, Pandectarum in Alma EBERHARDINA Prof. P. Famigeratissimo, Amplissimæ Facultatis Juridicæ h. t. DECANO Spectatissimo.

Nec non

DN. ELIÆ RUDOLPHO CAMERARIO, Medicinæ Doctori Experientissimo, Ejusdemque Professori in Laudata Academia Celeberrimo, Sereniss. Duc. Würtembergiæ Consiliario & Archiatro Meritissimo, Amplissimæ Facultatis Medicæ h.t. DECANO Spectatissimo, Præsidi Disp. hujus Gravissimo.

Hactenus Studiorum meorum Promotoribus, Optimis, Maximis, Patronis ad ultima fata Venerandis,

In devotum submissæ observantiæ & gratitudinis testimonium, hanc Inauguralem Disputationem

D. D. D.

Eberhard Backmeister.

Q.D.B.V.

HISTORIA.



Ir Sacrorum curam gerens, 50. circiter annorum, ſanguine aliàs acribus ſalſis volatilibus tincto particulis præditus, vultum rubicundum monſtrans, habitum corporis graciliorem, *Medicum* adit, cui ſuum exponit *Statum* ſequentibus circiter verbis: Doleo absque intermiſſione Scrobiculum Cordis, ut vix tangere illum audeam, comprimuntut pectus meum atque præcordia, nonnunquam in lateribus pectoris, ut & hypochondriis lancinantes pungentes quaſi colici dolores me torquent, ut reſpirationem ſufflaminent, flatibus diſtendor, partes corporis mei ſenſim emaciatæ tabeſcunt, appeto cibum, ſed vix aſſumtus mox comprimentem excitat dolorem, calore intenſiori non uror, catarrhis frequentibus obnoxius ſum, ſæpius odontalgia cum vigiliis, haud rarò coryza me turbant; Venam cùm ſecari curo, ſanguis valdè floridus ſplendidè rubicundus, tenuis non viſcidus apparet, alvus libera eſt, diætæ leges obſervo ſtrictæ, vini potu excedo nunquam; Permultis jam uſus ſum, ex *Medicorum Conſiliis*, purgantibus pilulis, potionibus, ſyrupis, elapsâ modò ſeptimanâ vinum bibi medicatum, ſed hæc ſingula, quamvis & per inferiora & per ſuperiora eduxerint, non ſolùm renitente, ſed & quotidie increſcente malo cum doloribus. *Metuo* Febrem Hecticam, quam Medicus Quidam prædixit. Urinam ſimul monſtrat flavam naturali

 plus

plus tinctam. Petit enixè Consilium *Medici*, qui primùm hunc Ægrum tractans, pensitatis tàm querelis istis, quàm aliis ad varia quæsita responsis, nimirum Vomitum, Cordis Palpitationem, Tussim, Dyspnœam, Cephalalgiam continuam, &c. abesse; De morbi specie brevissimus, Prognostico malum non statim, tandem tamen medicamentis, DEO auxiliante cessurum formato, seq. observandam injunxit *Methodum*: Verno hoc tempore *Per-Reverendus Dn. Æger* quavis hora matutina 6. vel 7. & vespertina 4. seq. pulv. ℥ß. cum 4. cochlear. quantitate mixtur. assumat. ℞. *Ebor. ppt. CC. phil. calc. tab. man. chr. perlat. aa.* ℥ß. *Cryſtall. ppt. Oc. cancr. ppt. ana* ℥iij. *specif. antihect. Poter.* ℥jß. *m. f. pulv.* ℞. *Aq. tarax. senec. Ana* ℥iiij. *syr. rub. id* ℥vj. M. D. *Externè* partibus dolentibus inungatur, calidè manè & vesperi ol. sequens ℞. *ol. lumbric. absynth.* ana ℥j. M. D. *Pulvere* consumpto quiescat à medicamentis per aliquot dies, post per tres aut quatuor septimanas quovis manè *Brodii* seq. herbis *alterati* calidè ℔ß. hauriat. ℞. *fol. violar. acetos. rad. cich.* singul. recent. ana Mß. concis. ac contus. coq. in *jusculo carnis* non salit. ℔ß. Colatura, si lubet, passulis aut macere condiri poterit. Circa autumnale tempus pulveris prioris usum repetat. Cum exacerbata recensita furunt quasi symptomata, noctu ante somnum seq. deglutiat *pilulas*. ℞. *Extract. pap. compos. gr. 6. Theriac. cœl. gr. 2.* M. f. *pil. numero 6.* d☉. Hæc juxta *Diæta* sibi certos ponat limites, quos ne transiliat cavendum. *Aerem* vitet turbidum, nebulosum, à radiis ☉is nimis fervidum: Abstineat à *cibis* concoctu difficilibus, fumo induratis, nimium salitis, aromatisatis, frixis, pinguibus, pultaceis, aceto, lacte; *Vinum* bibat, dum ordinario cibum capit tempore, non austerum, non generosum, sed mediocre; alio tempore si sitis urgeat, *decoctum rad. cich. recent. in aqua fontana* ipsi opponat. Mœror, terror, ira, exulent; Lucubrationes vitandæ, curæ moderan-

dæ

dæ sunt, Motus ante & post cibum instituendus modicus. His omnibus cum obtemperasset Dominus Æger, à dictis doloribus ac molestiis per DEI Gratiam liberatus, suo iterum fungitur munere

C. D.

RESOLUTIO.

CUm totus in eo nunc sim, ut ea, quæ in Studii Medici stadio oculis & auribus hactenus percepi, animoque contemplatus fui, per *Praxin* in usum ducere, & generalia singularibus, quod in *Medico* maximè requiritur, applicare discam, *Casum* modò propositum cum *Resolutione* cur ad edendum *Specimen Publicum Inaugurale*, quod decrevit *Amplißima Facultas Medica*, ventilationi solenni exposuerim, prolixas rationes nemo desiderabit. Resolvi autem ea qua potui brevitate, nam Authores multos compilare ob temporis, quo propter iter instans urgeor, angustiam, & alia, non licuit, non libuit. Resolvi Rationum & Experientiæ fulcris subnixus, non solis, nudis, & otiosis Authoritatibus, quæ *Medicum Theoreticum* in Scientia, *Practicum* in Conscientia, turbare valent. *Tu, Summe Archiater, conatibus, supplex oro, adsis, ut cedant in Tui Nominis Gloriam, Ægrorumque Salutem!*

THESIS I.

Cardialgia, καρδιωγμὸς quoque vocata, à καρδία, quod non solum *Cor* sed & *Stomachum*, *Os Ventriculi* præsertim superius sive sinistrum dicit etiam Veteribus *Hippocr. Erotiano*, *Galeno*, *Thucydidi*, *Nicandro*, ut & *Horatius* Cor pro Stomacho dixerit, ob mutuum utriusque consensum & symptomatum similitudinem, ut inquit *Excellentiß. Dn. D. Mezgerus*, *Patronus & Praceptor meus atatem colendus*, *Disput. de Cord. Th. 1. Celeberrimus Wepferus*, *Archiater Würtembergicus*, utrique adscribit Ortificio Cardialgiam, *in Hist. Cicut. Aquat.* Ego quousque extendam mox patebit. A καρδία inquam & ἄλγος, quod dolorem dicit, deducitur, *Plerisque* consilium petentibus Cordis dolor dicitur, conquerentibus, das Hertz thue ihnen weh. *Peritioribus* autem, ventri-

culi dolor, Magenweh vocatur. Στῆθος h. e. pectus dolere hic scribit *Hipp. in Coacis*, subintelligens, quod sub fine pectoris est.

II.

Describo ego hanc Nostram, quod sit *Affectus Ventriculi ortus ab acribus, salsis, tenuibus particulis secretis, in ventriculum ejusque potissimum fibras membranaceas improportionatè agentibus, indeque dolorem inferens, & quadam sibi symptomata absque febre jungens.*

III.

Quæ Verba mox docent hanc Cardialgiam *Non* esse *eam*, quæ febribus, præsertim Malignis, familiaris est ab Ægris inexplicabilis, cum mira anxietate, modo jactabundâ, modo valdè dejiciente, conjuncta; *Non eam*, quæ à flatibus solùm tensione dolorem inducentibus, aut ab acribus nimis alimentis & medicamentis, qualem à balsamo sulphuris curavit *Kölichen*, à Veneno exhibito, à Ventriculi inflammatione, Abscessibus, Ulceribus, Tumoribus, Tuberculis, à Lumbricis, calculis, Animalibus variis vivis, oritur; *Non eam*, quæ ab Acumine Cordis, qualem observavit *Anton. de Pozzis*, à deglutitis aciculis, lapillis, corio, aliisque durioribus, à Cartilaginis sterni Mucrone vel intro vel extro nimium verso, quam ad interiora incurvationem, in obesis gravius afflixisse deprehensum fuit; *Non* esse *illam Brasiliensibus* Endemiam; *Non Convulsivam*, qualis illa *Raygero in Eph. German.* annotata mihi videtur; *Nec* esse *illam*, quæ vel vomitus, vel choleras, vel deliria, vel deliquia, vel suffocationes, vel dysenterias junctas sibi habet ac socias. Cur non ad *Scorbutum* referam, Quærenti, cum singula enarrata symptomata scorbutici seri soboles videantur? ℞. *Scorbuti nomen* ad singulos morbos à salsis, acribus particulis oriundos si extendo, latissimum, sed minus propriè acceptum huic affectui competens erit: Sin in debita ac stricta sisignificatione ab ipsius *Descriptoribus* indigitata, prout debeo, accipiam, haud quaquam competet. Cur ergo non *Hypochondriaci morbi* ponam rubricam? Ulterius sciscitanti, cùm Hypochondriacus hic Pastor fuerit. ℞. *Hypochondriacum* fuisse concedo, prout communiter talis describi solet. *At* nimis generale est nomen, in Praxi nostra *Quidam* ad Hypochondriacum morbum recurrunt, ceu *Physici* ad occultam qualitatem, mirè quâ Individua varia, quâ causæ determinationem symptomata & curationem variat iste Affectus, ceu *I. Patersoni Hayn* Amicus morbi Hypochondriaci symptomata numerabat solus in se octua-

octuaginta simul & semel infestantia; In hoc autem Ægro Cardialgia se extendens potissimam facit paginam, & quin facie alia, forsan alio iterum tempore morbus proditurus sit, dictâ causâ repullulante, mutatâ, aliamque partem petente, firmiter negari nequit; imò cùm ad solum Acidum *Plerique Moderni* Hypochondriacum Vertumnum restringant, nostrum Ægrum Hypochondriacum non dixi.

IV.

Subjectum Primarium pono, non Cor, quod non rarò accusant Ægri in tali affectu, non pulmones aut pectus, sed *Ventriculum* ejusque potissimum *membranaceas Fibras*; Ventriculus ergò, *Vogelio* in Aula Microcosmica Culina Regia, in quo munere intestina junguntur socia, illud mox sub diaphragmate situm Vas, tibiæ utricularis forma, ex membranis artificio inimitabili nexis, exteriore cum peritonæo, Pleura, & ligamentis vertebrarum spinæ continua, ipsi tamen magis propria, media Carnosa, & Intima nervea, cum qua si glandulosum aut crustosum Velamentum unire, vel ab ea separare velis, per *me* licebit, ori & œsophago continua non communi, concinnatum, vasis sanguivehis ac nervis copiosis vagi paris ramis, fibris transversis, obliquis, circularibus, rectis, annularibus, in orbem protensis variè intertextis instructum, Subjectum primarium dicitur. Ventriculus non quà orificium solùm sinistrum sed & dextrum & reliquum suum corpus. Ventriculus, à quo totius Oeconomiæ reliqui corporis bona vel adversa fortuna magis, quàm *Plerique* credunt, dependet: Ventriculus, qui, ad *Angli Celebris* mentem, in sua mixtura continet sulphuris parum, spiritus sulphurei paulo minus, multum spiritus macri acrisque, nec non salis animalis ad activitatem aliqualem provecti & propterea vi pungente atque fusoriâ non spernendâ prædi-ti, portionem majusculam, materiæ terrrestris sufficiente aquâ dilutæ factæque tenacis quantitatem modicam. Ventriculus, inquam, ejusque potissimum fibræ membranaceæ *Subjectum* constituunt.

V.

Causam accuso *Acres*, quæ, cùm plerumque quamvis molestam, hostilem adversitatem indigitare soleant, ulterius *salsas*, *tenues* particulas, *secretas*; absolutè, si secundum ista hodie à *Plerisque*, non, (ob universalitatem & hostilitatem singularem denegandam) *Omnibus* recipi solita principia explicationem petis, nec acidas, nec alkalicas, nec tertias ex illarum vel pugna hostili, vel coitu amico concretas; (quod in con-

flictu

ctu patebit) Ex varia enim diversarum simplicium salinarum particularum mixtione tales oriri solent; *Volatiles* etiam, id est facilè in turbas agendas, spirituosas, sed non debitè, è quarum consortio præsenti in casu *sulphureas* quasdam *ego* non excludo, prout nimirum vocabula, pro hujus vel illius *Chymici* placito, accipiuntur. *Lædunt* autem hîc istæ Particulæ non tàm insigni quantitate, non tàm *mole* extensiva, quàm intensiva, lædunt *Qualitate* potissimum reducibili & *Motu*; fervidæ enim acumine suo spiculis istis velocius impetuosius sive potius disproportionatè moventur, solvunt continuum, non pungendo, rodendo solùm, sed & distendendo dictas partes.

VI.

Unde autem istæ *suum* trahant *Ortum* Particulæ, curiosius indaganti Repono: Temperamentum, ex spirituum crasi & dictis sanguinis particulis, solidarum partium habitu ac tono facile colligendum, cujus prima stamina Rerum Non-naturalium ad istam Ætatem usus auxit & excoluit, in statu naturali aptum fuisse ansamque dedisse, curas assiduas, meditationes profundas, studia sedula, quæ Munus Ægri hujus per totam vitam requirebat, spiritus dissipasse, absumsisse, quorum inopia demulcentium atomorum defectum secum trahens, non solùm acrimoniam cibis & particulis in corpore aliàs mitibus inducit, secedere ab invicem amico fœdere unitas particulas facit, spirituositatem amicam, activam in volatilitatem hostilem vertit, sed & humores pervertit, inutiles efficit, ac Viscera cum Glandulis, chyli & sanguinis generationi ac depurationi quocunque modo inservientia, torpida ac ignava in officio reddit. Quia diætæ regulas strictæ se observasse referenti Ægro credidit *Medicus*, hanc aliàs frequentem morborum Matrem non accusabo, licet unus & alter hic & ibi excedens, debitas se observare regulas putet; Medicamenta ista purgantia nimium contra debitæ leges methodi (nam quis sola purgatione repetita hic salutem sponderet) usurpata, suis particulis irritantibus, agitatione fusoria, eductione simul mitium demulcentium humorum etiam pondus & augmentum causæ huic morbificæ addiderunt.

VII.

Tales autem particulæ, malum istud cudentes, insunt non *Vaporibus* saltem & *Fuliginibus* exhalantibus, sed potissimum & *Menstruo seu liquori* ac *muco Gastrico*, & illi in Ventriculi nutrimentum abeundo, *Rori*, non huic

huic autem solùm, sed & *sanguini ac latici*, tandemque *solidis* etiam *partibus.* Liquor enim iste Gastricus spirituosus aliàs, acidus (non tàm ratione eminentis saporis, quàm molecularum crasi, textura, actionis propriæ modo) placidus, generaliter, in speciebus tamen, & individuis etiam diverso tempore, instar acidorum Macrocosmi, varians, dirigente principio, cujus chymiam admiratur *Paracelsus*, instructus, à calore non quovis, sed debito excitandus, hîc propter suum pabulum acrius, propter res nonnaturales dicto modo agentes, glandulas, ipsius fontes, inquinatas descisсit, ab occurrentibus similibus intenditur, adversis effervescit, ciborum portionem ipsumque sanguinem pro nutritione alluentem magis tali acrimonia inficit, tumultuosam in Ventriculo fermentationem instituit, unde & aliis partibus totique M. S. tales communicantur atomi. Quin bilis, pancreaticus succus, & Intestinalis humor modò à dictis in Ventriculo hærentibus infecti fuerint, modò ipsi tales particulas Ventriculo transmiserint, nullum est dubium, cum tàm varii in corpore contingant lapsus & occursus. *Nonnunquam* fluorem adeptæ particulæ illæ, agitatæ glandulas petierunt certas, serum copiosum fundentes. *Secretas* addidi, i. e. sui juris factas, nam in statu etiam sano diversæ in M. S. latice & aliis humoribus continentur particulæ, sed sub harmonia, fœdere, mixtione, Symmetria debitis; Verùm ubi Ametria adest, vitiata harmonia, confœderationis leges & pacta rupta sunt, secessum faciunt, vocabulo *Hippocratico*, secernuntur istæ particulæ, morsus, punctiones, rosiones, irritationes, & alias turbas excitare solent. Figuram autem istarum determinatam definire non ausim, quia nimium exiles, insensiles enim dicuntur, sunt; Generaliorem, si desideratur, in acumine posui; Et quid in Ventriculo valeant acres humores, notarunt *Bayle* & *Grangeron*, qui in quibusdam pro obsessis habitis stomachi malum ab humore acido melancholico & alkalico bilioso se cum fermentatione miscentibus, & per fermentationem acredinem contrahentibus deducunt.

VIII.

Ex diversa salinarum particularum *complicatione* deduxi supra istas moleculas; nam quis tàm varias salium sub biga generali hodie à *Plerisque* proponi solitarum species ac diversas combinationes non miratur? Ex corporum Physicorum constitutione, complicatorum principiorum conditione, & ex saporum mixtione componit succos cor-

poris nostri necessarios & excrementitios *Cesuin*, bilem ex. gr. ac si piper, acetum, & oleum invicem mixta, & in consistentiam extracti redacta essent; Quanquam & *Illos*, qui ex solis saporibus tanquam principiis actiones in Arte nostra deducunt, nimium sapidos censeam. Nec *Natura* libera solùm variè salia miscet, imò non hæc solùm, sed & (si arctius nomen contrahimus) à salinis diversas particulas, verùm etiam cogitur à quorundam perverso more, quo Medicas circa res N. N. regulas susque deque habent, præsertim circa cibi ac potus quantitatem, qualitatem, modum, tempus, &c. ac motum seu quietem corporis & animi, quo in casu causas morbificas mirè miscent aut potius confundunt, morbos penitus Irregulares ac Anomalos gignentes, cum tam variæ indolis corrupta hic & ibi in corpore invicem occurrere & obviare soleant.

IX.

Causæ in *Subjectum* expositum ita agentes istum producunt *Dolorem*, se extendentes ista Ægrum torquentia gignunt *Symptomata*, quæ verè & cum emphasi aderant; Non enim ex *Illorum Æger* fuit ordine, qui levissimam sentientes hic vel ibi puncturam, à gravativo pressi dolore non advertendo, quamcunque percipientes perexiguam molestiam, magno mox & impatienti cum angore Medicum & medicamenta fatigant, tum demum per medicamenta superflua se morbosos reddentes. *Dolet*, quia particulæ istæ seu moleculæ acres in membranaceas fibras agunt, actione à *sensatione* diversâ, qua dum partes pungendo, rodendo & distendendo, quod posterius vapores & flatus potissimum hic faciunt, ab invicem solvuntur, non solutione continui tertium morbi genus constituente, immutantur, disproportionatè, minus amicè, inconvenienter, alterantur, inde spiritus in turbas aguntur & ipsi, & humores etiam in ipsas agunt, partes contrahuntur, tenduntur, quæ contractio & tensio doloris sive irritationis effectus est; multum ipsum dolorem augens. *Dolet* autem absque intermissione circa *Scrobiculum Cordis*, circa finem pectoris anteriùs, ubi sterno adhæret Ensiformis seu Mucronata Cartilago, quia in superiorem Ventriculi partem sitam ibi, maximè nudam, in Sternum & Cartilaginem membranaceis propaginibus non destitutam modo dicto agunt isti liquores semper præsentes acres. *Comprimuntur Pectus ac Præcordia*, quæ, prout Ventriculum potissimùm comprehendunt, intelligo, non verò ad *Fernelij* li-

mites hîc extendo, distenditur Venter flatibus, quia salsæ istæ particulæ ab obviis adversis in effervescentiam Gas, ut *Quibusdam* vocare placet, eructantem aguntur, & sic flatus acres causæ primariæ effectus, distendendo, etiam constringendo, hujus symptomatis causa sunt. *Dolores isti quasi Colici* ab Ægro dicti, in *Hypochondriis* verè tales sunt, in *pectoris lateribus* etiam sentiuntur, acribus istis liquoribus sub tenui, sub humorosa etiam forma ad Intestina, ad Oesophagum & pectoris musculos, inque eorum fibras, quarum quamvis ex multis minutis globulis aut vesiculis insensibilibus à succo nutritio tensis formare *Cuidam Celebri Anglo* placet, transeuntibus, ac punctionis simul & distensionis vi lancinantibus, nervoso commercio concurrente. *Respiratio suffláminatur*, à Ventriculo in nimiam molem expanso, atomis diaphragma etiam, quod in medio sui Oesophagum è Ventriculo primùm exortum admittit, proximum, & pectoris musculos ac abdominis tangentibus, à tensione fibrosorum ligamentorum, quibus partes istæ respirationi inservientes Ventriculo & vicinis partibus nectuntur; Ventriculus enim sua mala per transudationem, contactum, membranacea ligamenta, nervos, spirituum amicam compassionem cuivis obviam, ob mirabilem actionem ad ignota *Quibusdam* relatam, & moleculàrum vel halituum transmissionem respirationi inservientibus partibus, diaphragmati præsertim & musculis pectoris, communicat. *Partes corporis macilentæ tabescunt*, quia salsior sanguis roscido glutine ac spiritibus debitis destitutus ad nutritionem ineptus poros partium subintrare prohibetur, nimiis aculeis aliquantum licet, hinc dolores ibi non excitantur, obtusis. *Appetitum non dejectum* refert *Dn. Æger*; Verum istam rosionem in Ventriculo in talibus casibus, non tàm appetitum, quàm dolorem molestum, anxium, quem voce od seyn/aliàs exprimunt, Cardialgiæ nomine facilè insigniendum censet *Excellentissimus Dn. Præses*. *Cibus Ventriculo oblatus* non amicè secernitur, solvitur, coquitur, sed tumultuosè agitatur, *distendens ipsum*, in magma abit, comprimens eundem. *Intensior abest Calor*, quia ad motum istum febrilem particulæ accusatæ non sufficiunt. *Odontalgia cum Vigiliis*, ab indignitatis sæpius heterogeneis sanguini ac sero etiam communicatis, gingivatum teneras membranas lacessentibus, spirituumque quietem spiculis turbantibus, oritur. *Catarrhi*, *Coryza* à salsis istis particulis in fluorem abeuntibus, laticem agitantibus, & glandulas in officio irri-

tantibus debentur. *Floridus* ille *Sanguinis Color* ac splendidè rubicunda tenuitas volatilitati particularum degeneranti adscribenda est; Viscriditatis autem absentia consistentiam fibrosam non tollit. *Urina*, salsis istis sulphureis agitatis etiam tincta particulis non potest non *intensiorem* monstrare *Flavedinem*. Et sic, per Circulum quasi, Effectuum ex Causis rationes deduco, ipsas autem & causas ex ipsis effectibus colligo; Rarius enim nos rem ex causis, frequentius causas ex re cognoscimus.

X.

Hinc *Signa* ipsius Affectus prudens Medici relatorum cum interiore partium situ comparatio prodit. *Brevissimus* autem de *Morbi Specie* fuit Medicus prudenti consilio, nam haud rarò prolixior Ejusdem expositio curiosiores Ægros, minus autem Artis peritos, confundit, turbat. *Causam* ostendunt Temperamentum, Ætas, Vultus, Habitus corporis, Doloris species, Macies, Catarrhi, Odontalgia, Coryza. *Hectica Febre* non laborat, quæ multis, sed falsò, persuadetur. *Prognosis* malum *non incurabile* dicit, quia ista causa sui reductionem, immutationem, non recusat; *Diuturnum* tamen, quia ista crasis ac textura causæ difficulter, & non nisi longo tempore, invertitur.

XI.

Indicationes Medendi Methodus suppeditat, quæ jubent *acres salsas volatiles particulas emendandas, infringendas, invertendas, nimium motas refrænandas, dolorem leniendum*. *Has* doctè *executus* est in Consilio suppeditato *Medicus*. Præscripsit assumendum *pulverem* Verno isto tempore, (Casus enim hic ab *Excell. Dn. Præside* in frequenti sua Praxi non hoc demum mense observatus, sed modò mihi communicatus fuit) quo aëris conditio ad Chronicorum morborum, qualis hic fuit, feliciorem curationem multum confert. Intermisit *Purgantia*, quia istis jam satis, imò nimium, exagitatus Æger fuit. Sæpiùs certè sub spe educendæ materiæ peccantis, licet contraindicantia prævaleant, Æger ad talia repetita persuadetur, quicquid *Alius* eorum noxam prudenter concludens, dicat *Medicus*: Præscripsit *partes Cervi & Elephantis duriores, lapides* in *Cancris* repertos, & *Crystallos*, igne non sicco partim quodammodo emollitas, non omni volatilitate penitus destitutas, partim lævigatione repetita comminutas, ♃*ium Iovi nuptum*, Emeticis & Purgantibus particulis tenuibus orbatum, fixatum, ad saturationem aptum, ut hæc, dum acriores, salsos, in Ventriculo liquores

res subintrant, ipsos immutarent, aliamque crasin, texturam, ordinem, numerum, pondus, motum ipsis conciliarent, ipsi etiam vehementiori motui frænum injicerent, spiritus quieti darent, nervosas partes firmarent, ceu alibi etiam eadem, addita acrioribus, absorbere ipsa, imbibere, invertere, ipsorum spicula obtundere, impropriè loquendo, præcipitare, quod, ad volatilia etiam si extenditur, nimis dilatatur nomen, observatur; Imò non in Ventriculi solùm liquores, sed & alluentem sanguinem agunt, ad totam Massam sanguineam suam Energiam quamcunque extendentia.

XII.

Non hic Absorbentia plura congesta fuerunt; nam non in hoc solùm medicamentorum genere, sed & aliis contractior pharmacotheca & minor apparatus Medico prudenti sufficit, contra communem, utinam abrogandum, morem; *Non* operoso ac diuturno labore, calore ac sudore vario elaborata medicamenta Chymica, tali etiam imbibitioni dicata, cum ista præscripta sæpè eundem edant effectum; *Non* pretiosiora ordinavit Absorbentia, ne Ægrum emungeret pecuniâ sine meliori effectu; *Non* saturatas jam Calces, Magisteria parum aut nihil hic juvantia; *Non* peregrina, ignota, exoleta, quia præscripta sufficiunt, imò præstant, in usum vocata. *Antimonium dicto modo descriptum* sive *Specificum Antihecticum Poterii* aut *Diaphoret. Iov.* cum duplo Iovis paratum Celebres *Chymici* pro visceribus roborandis hodiè præbere amant. Additum fuit *Saccharum* non pro palato solùm, sed & quia hoc modo facilius in vehiculo reliqua solvuntur, & à glutinoso lentore aliquantum præservantur; *Parum* autem, quia saccharata copiosa hîc non conduxissent, facilè enim muco viscido ansam, fermentanti tumultui materiam præbent, causam morbificam intendunt, in pertinacem ac confusam actionem adigunt, symptomata exacerbant, quæ ab additis oleosis pinguibus faciliùs contingunt. In pulvere præscribendo *Gratiæ* studuit *Excell. Dn. Præses*, non tàm ut adularetur, & indulgendo se commendaret Ægro, sed potius, quia ingrata & adversa spiritus turbant, avertunt, & hinc felicem medicamenti sufflaminant effectum. *Vehiculum* assumpsit *Aq. tarax.* & *senec.* cum *syr. rub. id.* ut nimirum aqueæ istæ tenuibus in dictis herbis ac fructu latitantibus aliquantum inebriatæ particulæ diluerent, temperarent, mitigarent acrimoniam. *Nec* circa talia medicamenta opus fuit, ut

 demum

demum magno labore extraheret, aut longâ actuatione eliceret Ventriculus potissimas vires, quod aliquando non sine sui & ipsarum detrimento contingit; licet *Vicißim* non negem, prodesse haud rarò, ut non liberatæ ab omnibus compedibus particulæ medicamentorum Ventriculo offerantur, sed ejus actionem adhuc experiantur pro eductione ipsarum; Hinc aliquando aromata saltem pulverisata volatilibus eorum salibus seu oleis palmam præripiunt: Et quid Ventriculus in medicamenta valeat, vel unicum istud inter plura experimentum probat, quo quædam vulneri instillata venena esse, non verò per os exhibita, observamus. *Externè* consolatus est partes oleo lumbric. & absynth. ut nimirum oleosis, mitibus, demulcentibus cum volatilibus & aromaticis mixtis partibus acriorem causam leniret, tensas fibras laxaret, membranas solutas uniret; *Calidè* inungi curavit; quæ enim externè Ventriculo applicantur, probè calida sint necesse est, nam actuale frigus teneræ ac nervosæ Ventriculi texturæ valde improportionatum.

XIII.

Post istius pulveris usum *Iuscula fol. acetos. violar. & rad. cichor.* viribus mitigantibus, temperantibus, refrigerantibus, restinguentibus, salsa diluentibus, sulphurea obtundentibus, imbuta, ad suppeditandam mitem succulentam humiditatem & obtundentem acrimoniam exhibuit. Horrent equidem *Quidam* & proscribunt ista juscula, sed absque ratione; nam debitè si parentur, haud ingrato sapore aut odore feriunt, imò emendari talis macere, butyro, pane tosto aut aliis pro lubitu, potest; & magna digestione talia opus non habent, sed, dum arripit alimentum Ventriculus, medicamentosæ se maximè exerunt vires, penetrantium particularum soboles, unde frequenter & feliciter variatis, pro conditione affectus, ingredientibus propinat *Excell. Dn. Præses. Libram* saltem *Semis* pro dosi exhibuit, quia liquidorum nimia quantitas facilè fibras Ventriculi & Intestinorum, si non citò transirent, nimis laxas reddidisset. *Pulveris usum* autumnali tempore *repeti* voluit. Diuturnum enim tempus ista acredo, si tolli debet, requirit, & in tali imbibentia, diluentia ista non uno aut altero actu, sed sæpissimè repetitis vicibus suum obtinent finem, hinc præter culpam haud rarò malè audiunt, cum semel vel bis exhibita effectui non respondent; sensim sensimque enim altas radices agentem causam immutant; Hinc

in

in Paroxyſmis, in acumine morborum Volatilia, quæ hic tam ob cauſæ morbificæ locum, quàm ſanguinis ac ſpirituum ad tumultus propenſionem, volatilitatem hoſtilem ſtudiò omiſſa, multum citòque juvant; ſin diu continuentur, aut majori doſi exhibeantur, in hoc Noſtro præſertim Ducatu, majores in corpore tumultus movent; Ab abſorbentibus autem, ſaturantibus infringuntur aculei, ſtupent quaſi dentes acrium particularum in hoc noſtro & ſimilibus caſibus, ubi volatilia, urinoſa præſertim, in feroces agunt ac fervidas turbas, ſanguinis compagem nimis laxant, ſpiritus diſſipant, ut haud rarò tàm in vicinarum quàm longius etiam ſitarum partium affectibus volatilia noceant, niſi prius infractio particularum variâ texturâ præditarum, præceſſerit per fixiora, imò ſola hæc ſufficiunt ſæpiculè. *Furibundis* ſub ſymptomatum ſævitie *Spiritibus*, figentes, ligantes, ſuffiaminantes ex *papaverum* non-uno genere, & *ther. cœl.* juxta diaphoreticam vim ferocientes ſpiritus compeſcente oppoſuit *pilulas*. *Acidulæ* in talibus aliàs laudari ſolitæ caſibus cur non propinatæ fuerint ſciſcitanti mihi reſpondit *Excell. Dn. Præſes* non ob Medicas, ſed Politicas rationes Ægrum iſtas non hauſiſſe.

XIV.

Ex *Rebus Non naturalibus*, Conſilio Medici *Aer*, qui ſuis inquinamentis, quibus ſpongiæ inſtar aptisſimus eſt imbibendis, augere aut acuere acriores, fervidiores particulas valet, qualis nebuloſus, nimis fervidus, *vitandus*, aut, ſi fieri non poteſt, *corrigendus* fuit. *Cibis* interdictum, qui ſylveſtribus, ſalinis particulis materiam & anſam præbent, parum nutriunt, copioſum ac vitioſum ſuppeditant, excrementum, acrimoniam intendunt, fervorem augent. *Landouillette* vult, carnes magis ſalutares homini eſſe quàm fructus, quia partes, quæ jam animalis cujusdam nutritioni inſervierunt, puriores ſint, quàm quæ ſimpliciter ex terra in plantam quandam migrarint; *Annon* autem, ſi medicamentoſas vires reſpicimus, in hoc caſu vegetabiles cibi magis profuiſſent, non auſim negare. *Vino* non interdictum, quia inſignis Mæ. Sæ. fervor ac ebullitio non adfuit; *Exeſſe* vero juſſum vinum auſterum, ob aciditatem, acredinem ponticam, Generoſum ob ſulphur ſpirituoſum, reſinoſum, viſcidum. Tempore inter cibum ſumendum medio ſi urgeat ſitis, vino ſubſtituit decoctum *rad. cichor.* ob rationes jam ſupra indigitatas, &

ut

aut agitatio ſanguinis ac ſpirituum, nimia aciditas item, prohiberetur. *Mœror*, in quo juncta tacita indignatione ſæpius noſtras quærimus aut invenimus delicias, *Terror* ob ſpirituum dejectionem, enervationem, ſanguinis quaſi congelationem, ςάσιν, acrimoniæ inducendæ aut augendæ aptiſſima Animi Pathemata ſunt, ceu *Ira* ad agitandos, turbandos ac confundendos tales proniſſima. *Curæ*, quo ſpirituum abſumptio, proſtratio, præcaveatur, ſint modicæ. Cibum præcedens & inſequens modicus *motus* ſpiritus ſuſcitat, colligit, ad chyli laudabilioris non acris è cibo elaborationem aptiores hinc reddit. *Lucubrationes*, quia hos avocando, diſſipando contrarium efficiunt, omni ſtudio vitandas præcepit.

XV.

His è Pharmaceutico & Diætetico Armamentario inſtructus armis, licet lentè, feliciter tamen iſtum permoleſtum & diuturnum Affectum, *DEI juvante Gratia*, *Venerandus Dominus Æger* debellavit, vi[cit], ſuo nunc officio ab obicibus prioribus liber cum laude fungens.

DEO Ter Optimo Maximo ſit Honor,
Laus & Gloria per omnia
Secula.

STEMMA TUUM celebrant AULÆ CATHE[DRÆ]
DRÆque SALUBRE:
Ut creſcat *Gentis* Gloria, redde, *Tua.*

Ominans precatur
Præſe[s]

FINIS.